



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

IV. De electione & qualitate eligendorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

eleſia, quoniam ipſa præceſſit Eccleſiam, & Eccleſia proceſſit ab ipſa; (juxta quod eadem dicit in canticis: *Fily matris meæ pugnaverunt adverſum me; rursùmque paululum cum pertraſſiſſem, inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ.*) nihilominus tamen Eccleſia mater eſt generalis, quæ novo ſemper fœtu fœcunda concipit, parit, & nutrit. Concipit catechizando quos inſtruit, parit baptizando quos abluit, nutrit communicando quos reficit. De qua Propheta dicit in pſalmo: *Habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantiem.* Et alius item Propheta: *Leva, inquit, in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati venerunt tibi. Fily tui de longè venient, & filie tuæ de latere conſurgent.*

TITULUS IV.

De electione & qualitate eligendorum.

Archidiacono & Capitulo Capuanis.

Lib. 2. epiſt. 277. & to. 6. Ital. ſac. pag. 406.

Cum olim nobis &c. Cum ex utriuſque partis aſſertione conſtaret interpoſitam fuiſſe appellationem canonicam, quando ne fieret electio niſi canonica ſecundùm mandati noſtri tenorem ad noſtram fuit audientiam appellatum, videri poterat quòd poſt eam medio tempore nihil debuerit innovari, unde talis electio judicanda erat irrita & inanis, utpote poſt appellationem canonicè interpoſitam attentata. Sed è contrà, cum appellatum fuiſſet, non ut nulla fieret electio, ſed ut fieret canonica; ſi factum electionis fuit canonicè ſubſecutum, non utique contra formam appellationis hujusmodi ſed magis ſecundùm eam videbatur eſſe proceſſum. Et ideo licèt poſt appellationem, non tamen fuit contra hanc electio celebrata. propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cum duæ partes & ampliùs electioni conſenſerint & conſentiant, licèt cautum reperiatur in canone ut tunc alter de altera eligatur Eccleſia cum nullus in propria reſpertus fuerit idoneus, quia tamen hoc in favorem introductum eſt Clericorum, & cuique licet renuntiare juri quod pro ſe noſcitur introductum, vos, qui duæ partes eratis & ampliùs, cum quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere doceatur, in hac parte juri quod pro vobis

facere videbatur renuntiare potuiſtis & electionem de perſona alterius Eccleſiæ celebrare, præſertim cum illud decretum locum videatur habere quando Clericis renitentibus & invitis per alicujus violentiam poteſtatis extraneus ingeritur ex adverſo, propter quod ſequitur in decreto, ut ſit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari, & quos ingeri ſibi viderint ex adverſo, non timeant reſutare. Præterea cum ſedes apoſtolica caput omnium Eccleſiarum exiſtat, & Romanus Pontifex judex ſit ordinarius ſingulorum, quando de ipſa quis aſſumitur in Prælatum alterius, ei obici poſſe non videtur, propter capitis privilegium quod obtinet plenitudinem poteſtatis, quòd de alia Eccleſia eligatur, cum à capite membra reputari non debeant aliena. Item cum poſt appellationem emiſſam, non ut fieret electio, quia talis appellatio nulla fuiſſet, ſed ut fieret canonica, dictus Archidiaconus Teatinus cum ſuis fautoribus chorum exiſſet, & vos illos ut intereſſent electioni faciendæ vobiſcum curaveris ſollicitè revocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos ſe feciſſe videntur, propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de jure non poſſe contradicere videbantur, præſertim cum idem Archidiaconus poſtea requiſitus reſponderit quòd in præſentia noſtra vellet ſuum ei præbere conſenſum. Et ideo cum ſecundùm ſtatuta Lateranenſis Concilij, appellatione remota, ſemper id debeat prævalere quod à pluribus & ſanioribus fuerit ordinatum, niſi fortè à paucioribus & inferioribus aliquid rationabile fuerit objectum & oſtenſum, à vobis celebrata electio, tanquam à majori & ſaniori parte, non obſtante contraditione & appellatione paucorum, debebat & poterat rationabiliter confirmari, cum id quod objectum extitit & oſtenſum, rationibus præmiſſis appareat rationabile non fuiſſe. His taliter allegatis, quanquam contra perſonam illius alterius quam elegiſtis nihil unquam dictum fuerit vel objectum, quia tamen verbum Apoſtoli dicentis, *nemini cito manum imponas*, debemus attendere diligenter, ad ea quæ circa perſonam inquirenda fuerant duximus ex officio noſtro, ſicut decuit, procedendum. Et quidem cum tria ſint in perſona electi præcipuè requirenda, videlicet ætas legitima, morum

Cap. Nullus. Diſt. 61.

honestas, & literatura sufficiens, licet de honestate morum, tanquam ei qui nobiscum est aliquandiu laudabiliter conversatus, possimus ipsi laudabile testimonium perhibere, illius quoque litteraturæ, licet non eminentis, tamen convenientis existat, ut pro defectu scientiæ (sicut plenius intelleximus ab his qui eam melius cognoverunt) ab electione non deberet excludi, de legitima tamen ætate plenè scire non potuimus veritatem, de qua nec vos, ut accepimus, aliquid cogitastis, cum à multis cujus ætatis existeret curaverimus indagare, à nemine unquam audivimus quòd annum ætatis trigésimum attigisset. Cùm autem secundùm prædicti statuta Concilij nullus debeat in Episcopum eligi qui trigésimum ætatis non egerit annum, licet senectus venerabilis sit non diuturna nec numero annorum computata, sed cani sint sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata; quia tamen post illa tria quæ Salomon asserit difficilia, quartum quasi reputat impossibile, viam videlicet viri in adolescentia sua, tanquam investigari non possit, nos Ecclesiæ pariter & personæ providere volentes, & tam rationes quàm cautiones observare, habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, quia propositum vestrum providum intelleximus, & ideo propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem Ecclesiæ Capuanæ, quam in hac parte potius approbavimus, volumus ipsum firmiter perdurare, præfatum Subdiaconom nostrum de communi fratrum nostrorum consilio vobis in procuratorem concedimus, liberam amministrationem ei tam in spiritualibus quàm in temporalibus committentes.

*IDEM ARCHIEPISCOPO  
Cantuariensi.*

Cap. 4. de  
elect. in Ter-  
tia Collect.

**I**Nnotuit olim nobis tam per litteras tuas quàm quorundam suffraganeorum tuorum & dilectorum filiorum Prioris & conventus wigorniensis Ecclesiæ quòd eadem Ecclesia destituta pastore, dicti Prior & conventus dilectum filium magistrum Mag. Eboracensem Archidiaconum in pastorem animarum suarum unanimiter elegerunt, & cùm ejus tibi fuisset electio præsentata, confirmationem usque in adventum ipsius qui absens eligebatur & inscius distulisti: qui tandem quod factum fuerat audito, ad præ-

sentiam tuam devotus accessit, & præter opinionem omnium, qui nihil obitare credebant quin statim concors & canonica deberet electio confirmari, spontanea & secreta tibi confessione monstravit quòd conscientia ejus aliquantisper ex natalibus esset læsa, & quòd ad tantæ dignitatis apicem præter indulgentiam apostolicæ sedis nollet aliquatenus promoveri proposuit, etiamsi promoventem benignum & facilem inveniret. Tu autem, sicut vir providus & discretus, intellecta conscientia ejus, noluisti protinus ad confirmationem procedere; sed nobis & rei seriè intimasti per litteras tuas, & per eas ipsius magistri merita & scientiam commendasti. Capitulum autem ejusdem Ecclesiæ quare per te fuisset electionis ipsius confirmatio protelata se ignorare per litteras suas nobis transmissas exposuit, & eam penitus per sedem apostolicam confirmari, præsentato nobis electionis decreto subscriptionibus eligentium roborato. Quidam autem suffraganeorum tuorum, quod per litteras tuas videbaris obscurè aliquantulum innuisse, per suas litteras in aliquibus expresserunt, asserentes eum filium fuisse cujusdam Militis, & ab eo ex quadam ingenua & non conjugata susceptum. Interim verò idem magister ex insperato ad præsentiam nostram accessit, & ei quod nobis de natiuitate ipsius per litteras aliquorum suffraganeorum tuorum fuerat intimatū adiecit quòd nunquam pater ejus uxorem habuerat, sed matri ejus virginitalis florem præripuerat quasi furtim, & ipsa infra quadriennium à natiuitate ipsius matrimonium non contraxit. Nos ergo cum fratribus nostris super hoc habito diligenti tractatu, relectis canonibus, quosdam invenimus qui non legitime genitos promoveri vetant ad officium pastorale, causam forrè trahentes ex lege divina, per quam spurij & manseres usque in decimam generationem in Ecclesia Dei prohibentur intrare. Invenimus autem quosdam alios qui undecumque genitos non prohibent ad sacros ordines promoveri, dummodo sibi merita suffragentur, asserentes quòd culpa parentum non est filijs imputanda. Et ad hoc probandum inducunt quòd Dominus Jesus non tantum ex alienigenis sed etiam adulterinis voluit commixtionibus nasci, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hi etiam divinæ scripturæ

videntur inniti, qua dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris &c.* & per quam antiquum videtur proverbium removeri, quo inter filios Israël dici solebat: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Quidam verò canones ad concordiam discordantia revocantes, repugnantiam canonum prædictorum sopire quodammodo videbantur, continentes quòd illegitimè geniti, si religiosè fuerint aut in cenobis aut in canonicis conversati, à sacris ministeriis minimè remouentur. Et inter illegitimè genitos quidam asserunt eos solos à sacris officiis prohibendos qui paternam incontinentiam imitantur. Et ij quoque videntur auctoritate divinæ legis inniti qua dicitur: *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem in his qui oderunt me.* quasi dicat, in his qui circa me paternum odium imitantur. Verùm canon Concilij Lateranensis à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro editus in synodo generali, primis concordans canonibus, non solùm tales vetat in Episcopos promoveri, verùm etiam eligentibus certam pœnam infligit, immo ipso facto eandem pœnam ipsos asserit incurrisse, ut secundùm hoc canon esse lætæ sententiæ videatur, cujus tenor talis est: *Ne videlicet quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est in exemplum trahatur à posteris, nullus in Episcopum eligatur nisi qui de legitimo sit natus matrimonio.* circa finem subiungens: *Clerici sanè si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se esse suspensos.* Sanè prædictus canon, qui non per eum qui canones non nosset antiquos, sed per illum qui plenè noverat canonicas sanctiones, in Concilio multorum jurisperitorum est editus, & ipsius approbatione Concilij roboratus, natis de non legitimo matrimonio omnem videtur in Episcopos promovendi aditum exclusisse, cum id etiam ad consequentiam trahi prohibeat quod pro necessitate innuit prioribus temporibus esse factum, licet nihil aliud quàm necessitas dispensantem ad dispensationem inducat. Præterea electionem talium innuit nullam esse, dum etiam pœnam statuit electorum, ut tunc eligendi se noverint potestate privatos. quod nihil esset si tunc non occurreret electio facienda, quod fieri non posset

priori electione seu etiam nominatione durante. Ex quo patet electionem hujusmodi per ipsum canonem irritatam. Quamvis autem etsi canon iste illegitimè genitos fortius prosequatur, nobis tamen per eum adempta non fuerit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum immo etiam eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem, sed ea tantùm fuerit mens ipsius ut quia ex eo quod aliquando ex dispensatione pro necessitate temporis factum fuerat quidam gratiam in licentiam excedentes, & inde sumentes exemplum, se licitè credebant eligere tales, & indifferenter hujusmodi eligebant, talia fieri prohiberet. Unde gravem electoribus pœnam infligit. Deliberavimus tamen cum fratribus nostris utrum in tali casu & cum tali persona deberemus misericorditer dispensare vel juris potius servare rigorem. Invenimus enim à bonæ memoriæ Urbano Papa prædecessore nostro in casu multò difficiliore cum Cenomanensi dispensatum electo, qui fuerat filius sacerdotis, & Legionensis Episcopo, qui post consecrationem suam fuerat humiliter & sponte confessus quòd fuisset ex matre non legitima procreatus quam pater ejus vivente uxore propria cognovisset. Sed idem Urbanus inhibuit ne id quasi pro regula in posterum ad consequentiam traheretur. Videbatur enim quòd cum cum illegitimè natis fuisset aliquandiu dispensatum, & ex certa causa forsan in posterum dispensandum, in hoc casu deberet celeritè dispensatio indulgeri, illi personæ videlicet quæ minus imperfectionis, plus perfectionis habebat. Multa enim in hoc casu dispensationem inducere videbantur, litterarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, & fama personæ, multipliciter à quibusdam etiam ex fratribus nostris, qui eum in scholis cognoverant, approbatæ. Faciebant etiam ad id non modicum concursus Capituli Wigorniensis electio, petitio populi, assensus Principis, votum tuum, suffraganeorum suffragia, & humilis devotio confitentis, qui sponte ac humiliter suum maluit confiteri defectum quàm lætæ conscientia thronum ascendere pastorem. Habito igitur cum fratribus nostris super omnibus diligenti tractatu, intelligentes Wigornienfè Capitulum eundem

Dist. 56.

Concil. Later.  
sub Alex. 3.  
cap. 3.

magistrum non humiliter postulasse, sed improvidè potiùs elegisse, cum ad obtinendum dispensationis beneficium procedendum fuisset, non per electionem prohibitam, sed per postulationem permissam, electionem ipsam prædicti canonis auctoritate cassatam denuntiamus irritam & inanem, parcentes non modicum Wigornienfi Capitulo quòd eis nec penam infligimus expressam in canone supradicto nec probare cogimus innocentiam quam allegant. Et quamvis post cassationem hujusmodi nobis à multis fuerit humiliter supplicatum ut propter causas prædictas dignaremur cum eo misericorditer dispensare, cum ad dispensandum in talibus nullus se casus habilior posset offerre, quia tamen prædicto Capitulo liberam facultatem eligendi vel postulandi volumus reservare, supplicationem hujusmodi, quæ nomine Capituli non fiebat, cum non ad postulandam dispensationem sed petendam confirmationem ipsius fuissent Capituli nuntij destinati, ad præsens non duximus admittendam, decernentes irritum & inane si quid super ordinatione ipsius episcopatus ante susceptionem litterarum nostrarum fuerit attentatum. Volumus igitur & mandamus quòd per Cantuariensem provinciam ex parte nostra facias distinctiùs inhiberi ne quod de multis in eadem provincia, quod sine pudore non dicimus, inordinate noscitur esse factum, de cetero contra formam præscriptam nullatenus attentetur. Sed si Wigornienfe Capitulum eundem magistrum propter prærogativam meritorum ipsius duxerit postulandum, postulationem ipsius apostolicæ sedi præsentare procuret.

*IDEM BISVNTINO ARCHIEPISCOPO  
& suffraganeis ejus.*

Lib. 1. epist.  
523.

**C**um ad nostram nuper notitiam devenisset quòd H. qui se pro Abbate Luxoviensi gerebat, non antè fuerit monachus quàm electus, nos attendentes quòd contra regulares traditiones istud fuerit attentatum, cum nullus spem vel promissionem habens ut Abbas fiat debeat monachari, electionem de ipso factam de consilio fratrum nostrorum curavimus irritare. Quocirca mandamus quòd tam monachis quàm aliis fidelibus monasterij memorati studeatis ex parte nostra distinctiùs inhibere ne præfato H. ullam obedientiam vel reverentiam propter

jamdictam electionem audeant exhibere. Et si quid in eodè monasterio disponendo perperam attentavit, nullius volumus habere robur firmitatis, sed penitus irritari.

*IDEM ROTHOMAGENSI  
Archiepiscopo.*

**P**er nostras postulasti litteras edoceri Lib. 1. epist.  
264. utrum clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, se ipsum si idoneus est, valeat præsentare. Cum igitur nullus se ingerere debeat ad ecclesiasticæ prælationis officium, inquisitioni tuæ taliter respondemus quòd nullus se possit ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscumque studijs & meritis adjuvetur.

*IDEM CAPITULO PENNENSI.*

**Q**uoniam electus à vobis ante confirmationem obtentam amministrationi episcopatus se irreverenter immiscevit, & tam à Clericis quàm à laicis juramenta recepit, non attendens quòd, secundum Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, nec donum scientiæ Pontificis conveniens fuerat assecutus, cum juxta verbum dominicum *Qui fecerit & docuerit, magnus vocetur in regno caelorum*, postquam nobis eundem præsentastis electum, sufficienti examinatione præmissa, electionem de ipso factam, exigente justitia, duximus irritandam.

**TITULUS V.**

Ne translatio electorum in Episcopos, post confirmationem, præter assensum Romani Pontificis fiat.

*Idem Decano & Capitulo Andegavensi.*

**I**nter corporalia & spiritualia eam Lib. 1. epist.  
532. cognovimus existere differentiam, quòd corporalia faciliùs destruantur quàm construantur, spiritualia verò faciliùs construantur quàm destruantur. Unde juxta canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest. Episcopi quoque à Metropolitanis suis munus consecrationis recipiunt, qui tamen non possunt nisi per Romani Pontificis sententiam condemnari. Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quàm carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conju-

Cap. Episcopu.  
dist. 67.